

Augustinus

ut nunquam careant suppliitio qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato. Ostendunt enim quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum vivunt». Augustinus: «Percutitur interdum hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui, dum viveret, oblitus est Dei». Item Apostolus, ad Ro. I: *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea que non || conveniunt*. Ea autem que non conveniunt tunc facit homo, cum de Dei misericordia desperat. Et hoc Dei iudicio fit, ut dicit Beda: «Quia enim homo noluit bene facere, dum potuit, inflictum est ei ut non possit, dum velit», id est dum velle sperabat. Vide supra, ubi de hac materia locutus fui, in tractatu fratris Helye.

Beda

De fratre Henrico Pisano et de cantibus suis.

Porro cum patriarcha Antiocheno multis annis stetit frater Henricus Pisanus, qui fuit ex Ordine fratrum Minorum, qui multa bona de predicto patriarcha michi et aliis fratribus referebat frequenter. Iste frater Henricus Pisanus fuit pulcher homo, medíocris tamen stature, largus, curialis, liberalis et alacer; cum omnibus bene conversari sciebat condescendendo et conformando se moribus singulorum, fratrum suorum gratiam habens et secularium, quod paucorum est. Item sollemnis predicator et graciosus clero et populo fuit. Item sciebat scribere, miniare (quod aliqui illuminare dicunt, pro eo quod ex minio liber illuminatur), notare, cantus pulcherrimos et delectabiles invenire, tam modulatos, id est fractos, quam firmos. Sollemnis cantor fuit. Habebat vocem grossam et sonoram, ita ut totum repletet chorum. Quillam vero habebat subtilem, altissimam et acutam, dulcem, suavem et delectabilem supra modum. Meus custos fuit in Senensi custodia et meus magister in cantu tempore Gregorii pape noni. Et tunc vivebat frater Lucas Apulus ex Ordine fratrum Minorum, cuius est sermonum memoria, qui fuit scolasticus et ecclesiasticus et litteratus homo et in Apulia in theologia eximius doctor,

nominatus, sollemnis atque famosus; cuius anima per misericordiam Dei requiescat in pace! Amen. Item iste frater Henricus Pisanus fuit morigeratus homo et Deo devotus et beate Virgini et beate Marie Magdalene. Nec mirum, quia ecclesia sue vicinie Pisis habebat vocabulum huius sancte. In civitate etiam Pisana beata Virgo vocabulum habet matricis ecclesie. In qua fui a Pisano archiepiscopo diaconus ordinatus.

Multas cantilenas fecit frater Henricus et multas sequentias. Nam illam litteram fecit et cantum:

Christe Deus, 10
Christe meus,
Christe rex et Domine!

ad vocem cuiusdam pedisseque que per maiorem ecclesiam Pisanam ibat cantando:

E s' tu no cure de me, 15
e' no curarò de te.

Item illam cantilenam fecit, litteram cum triplici cantu, scilicet:

Miser homo cogita facta creatoris.

Item cantum fecit in illa littera magistri Phylippi cancellarii Parisiensis, scilicet: 20

Homo quam sit pura
michi de te cura.

Et quia, cum esset custos et in conventu Senensi in infirmitorio iaceret infirmus in lecto et notare non posset, vocavit me, fui primus qui, eo cantante, notavi illum cantum. Item in illa alia littera, que est cancellarii similiter, cantum fecit, scilicet: 25

Crux, de te volo conqueri

et:

Virgo, tibi respondeo